





B









ODÆ

FRANCISCI MARIÆ DE RICCIO FLOREN.

ad modos musicos dictæ

Cum Idem

Auspicijs

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS

CAROLI CARD. MEDICES

de Philosophia disputauit

in Collegio Romano

Societatis IESV

anno

MDCXIX.

permissu superior.

TIMENS INOPIAM.

Typis Iacobi Mascardi.



ILLVSTRISS. PRINCIPI

CAROLO MEDICI

S. R. E. CARDINALI

AMPLISSIMO.

Franciscus Maria de Riccio Sem.Ro.Con. F.



EX illos Serenissimæ Familiæ tuæ gentilitios globos, Princeps Illustrisime, Mediceorum ideo gloriæ datos esse si dixero, quia dominatrix hæc Domus quinque à profanis imperijs Ethruriæ suæ Maiestatem, Orbemq; gloriæ mutuata est: nè latum quidèm vnguem à linea veritatis aberrauero. Assyrijs enim fundamentum Regni iustitia, Medis prudentia, fortitudo Persis, Macedonibus temperantia, cœlestes aliæ, & diuinitùs infusæ virtutes defuere priscis illis Románis, quę Vobis vniuersę liberali sanè Diuinitatis concessu præstò sunt. Quòd si amplitudo præsens Ethruriæ

minore Regionum ambitu circumſcripta eſt, quàm illorum prouinciæ finirentur, adſunt Vobis, & Optimi, & Maximi è Mediceorum gente Pontifices, qui ditione cœleſtis imperij non modò Terras, ſed Cœlum adæquarunt. Aeternitate factorum, immortales Heroas, & è Mediceorum faſtis inauditæ etiam virtutis Heroinas componere cum antiquis illis, atq; committere conſilium mihi non eſt. Nam Catharinam, & Mariam Reginas Galliarum cum Aſſyria Semyramide ponere, parareq; ſi velim, naè ego ſtultus Innocentiæ, & Maieſtatis exempla cum leuiſſimo, viliſsimoque monſtro conferrem. Perſarum Imperium maiore diuitiarum, quàm Militum vi, diſciplinaq; firmatum diù ſtare non potuit: At Magni quatuor Ethruriæ Duces, & opum ærarijs, & flore, & robore iuuenum bellicoſorum, & armorum tractatione, diſciplinaq; virtutum non diuturna, ſed æterna pacis, & imperij fundamenta poſuerunt. Quid Coſmus ille Primus Magnus Ethruriæ Dux? nonnè ciuilis belli flammam patriæ ſalute reſtinguendo domicilium certum imperio fixit? Mox externorum confector bellorum rem Ethruſcam domeſticis inſtitutis, conſilijsq; firmando, & à Pio V. P. O. M. magni titulo appellatus, nonnè à Philippo conſilium, ab Alexandro Magni nomen extorſit? Huius Pater Ioannes Medices, etiam ipſe magnitudine

dine rerum gestarum fuisset Alexander, si Philippum Patrem habuisset. Adolescens adhùc, & planè puer ex flore totius Italiæ Nigrorum Militum ordinem inuictissimum legit, septiesque maximorum exercituum aperto marte victor, & triumphator fuit. Laurentius verò cognomento magnificus, vt patriam à certissimo periculo liberaret, cùm se vnum sua sponte Regis, tunc fortissimi hostis, arbitrio dedidit, nonnè Scæuolas, & Regulos æmulatus est? Sanè qui Romano illo pectore pro cunctis vnum obiecit periculo caput, is dicere potuit, AGERE, ET PATI FORTIA MEDICEVM EST. Mitto reliquos, & in Cosmi fratris tui Clementissimi Principis lenitudine conquiesco. Cuius Heroica liberalitas non modo cum Tito diem non amittit; sed nè punctum quidem temporis prætermittit beneficijs otiosum. Religionem verò Mediceorum Familiæ non cum vetere superstitione, sed cum religiosissimo Christianorum Principum cultu comparabo. Ex qua enim Domo cum tot purpuræ Romanæ luminibus quatuor Summi prodiere Pontifices? Horum tu vestigia premis, & comitate, liberalitate, rerum cognitione pulcherrimarum auitæ possessionem laudis nouis in dies incrementis ampliorem facis. Quid igitur mirum si Philosophia mea Romanum in puluerem discensura patronum te salutat,

quæ

quæ maiorum tuorum præſentiſſimum vbique patrocinium experta eſt? Non poteſt illa degenerare à ſe ipſa, quando tu à Maiorum tuorum virtute degenerare non potes. Vale.



ASSY-

ASSYRIA
AD CAROLVM.

O Bellicosæ sydus Ethruriæ
Nouam recingens Iride Purpuram
Potens furorem vel trecentis
Implicitum cohibere nodis.
Te dulcis anteit sollicito pede
Aglaia, recti te pietas Numæ:
Te fida telluris magistra
Iustitiam docuit Themistis,
Te mollis ambit copia Mercuri,
Te mens Mineruæ, te Iouis Armiger.
Augustus es felicitate
Crœsus opum vice, moribusquè
Traianus aureis. Ipsa sed auream
Regnis fugaui ferrea Virginem
Præcinta Bellonæ flagellis
Mortiferum paritura Martem.
Aeterna terris pax erat, aurei
Et culmen æquis lancibus imperi
Astræa mandabat tyranno,

Qui

Qui patrios regeret penates :
Cùm non paterni limitibus soli
Contenta (quid non regni amor audeat ?)
Superba subduxi quietis
Regna per insidias propinquis .
Tunc omne Terris incubuit nefas ,
Cohors malorum , ferrea tempora ,
Et sæcla Saturni fugauit
Saxea Deucalionis *ætas .*
Tunc parca tristem corripuit gradum ,
Morbi , senectus , tarda necessitas ,
Orbemque turbarunt bipennes ,
Ira , furor , stygiaq; larua .
Sed vestra Regum progenies malo
Prodesse , puros & potuit dies
Priore florentes metallo ,
Et niueam reparare pacem .
Nàm sæcla tandèm rettulit aurea ,
Et gloriosum restituit Decus ,
Prolemque letheam subacti
Imperio spoliauit Orbis .
Laxisque rectos artibus ordines ,
Fluctusque belli composuit , quibus

Cum

Cum Sole Maiestas nitescit
Medicum ab Hesperijs ad Indos.
Orbem ergo nostrum non mihi sit pudor
Miscere senis orbibus; est honor
Seruire virtuti; decorum
Seruitium dabit hoc triumphos.



MEDIA
AD CAROLVM.

POstquàm res cecidit Meda superfluus
Hic Orbis laceri symbolus imperi
Vix tandèm superat, Mediceum sibi
Quem prudentia vendicat.
Qua dici patriæ Palladio potens
Cosmus promeruit consilio Pater;
Qua Laurens Patriæ floruit arbiter,
Et certa Hesperiæ salus.
Vt mox ille domos attigit igneas,
Tunc Astræa fugax deseruit solum,
Liquit pax Italos, regna tumultibus
Mars, discordia miscuit.
Eheù quantus agris, quantus & Vrbibus
Sanguis? quanta dedit funera Celticus
Miles? Tot veteri ductor Achaicus
Non Troiæ peperit neces.
Sed Cosmo rediјt Principe faustitas
Prudens ille toga vincere, seù sago,
Bellorum quatiens Aegida, regium
Fecit

Fecit nomen Ethruriæ.
Hoc ingens ſpecimen creſcere Principum
Ferdinandus equis, atque triremibus
Vidit, cuius adhuc cornua Thraciæ
Lunæ militiam pauent.
Laus huic è gemino flore renaſcitur,
Alter laurigera pace beatior,
Ut ſol ſyderibus prominet omnibus,
Ut ſol gratior omnibus.
Alter purpureis inclitus infulis
Arni flore Tybris complicuit roſas;
Cui iam ætate graui Roma adamantinos
Faſces cœlituum dabit.
De noſtro veniunt ſanguine Medices,
Regum ſtemma patrum, & nomen id indicat,
Cari noſtri etiam gloria Caroli
Laus, & noſter honos erit.



PERSIA

AD CAROLVM.

Viue ter felix modò Romulaæ
Purpura, regni columen Paterni
Viue, Persarumque tuis repone
Orbibus Orbem:
Carole, & fortes moderare Lydos,
Nàm decet fortes dare iura Regnis;
Ilicet ponent Aquilis trementes
Iura columbæ.
Medices Regum soboles potentum
Læta ter binos moderatur orbes,
Fortium hoc olli meruit parentum
Maxima Virtus.
Nempe Ioannes domuit frementis
Abduæ fluctus, similisque Nereo
Vngula spumantis equi fugauit
Aequoris Vndas.
Ipsa Neptunnum celerem quadriga
Pallas vndoso volitare ponto

Credi-

Credidit, vaſtumque per æquora allo-
Cuta volantem eſt.
Perge Maiorum decorare faſtos,
Perge Tydidem, Pyliumque fama
Vincere, inuicto tibi ſex parentum
Non ſatis Orbes.



MACEDONIA
AD CAROLVM.

NOstris subacta Perside fascibus
Regina Mundi dicere cœperam
Summis Alexandri triumphis
Exiguam ambitiosa Terram.
Quin ille plures indoluit globos
Non esse Terræ. mœnibus Orbis at
Superbiorem mox tyrannum
In cinerem breuis vrna cœpit.
Necnon cupitos Mediceum suo
Gens maior Orbes Orbe coercuit,
Nostrumque virtutis nitore
Abstulit, inseruitquè senis.
Laboriosum nil sapientiæ;
Dat astra virtus, regna dedit Deus
Tractanda prudens temperanti.
Maxima testis erit Tuorum
Princeps Parentum Regia Principum,
Per quos Catonis dia seueritas
Adiuncta Saturni tiaris

Italia

Italiæ populos beauit.
Per quos Etruſcum nomen, & Itala
Creuere gentes, veſtraquè prouida
Tellus Mineruæ dedicatos
Exhibuit decora alta flores.



RO-

ROMA
AD ETHRVRIAM.

Mater ò felix animosa Regum
Tuscia antiquas Trabeas nouellis
Insulis misces, sobolemquè magnæ
Sufficis Vrbi.
Littore Ethrusco sita suter ignes
Roma stellarum tibi septicollis
Ardet, & triplex geminos coronat
Flamma leones.
Medicum, & senos Pius inter Orbes
Emicat: centum rutilat triumphis
Barbaras inter furias, & inter
Fulmina Clemens.
Orbis Aurigas Atauos, & alta
Gloriæ censum generosus auget
Carolus voluens pius insulatis
Fascibus Orbes.
Purpura, qui nùnc humeros amictus
Principem Mundi veneratus Aram
Fluminum Regi Tyberi secundum
Fœderat Arnum.

ETHRV-

ETHRVRIA AD CAROLVM.

QVod me tubarum per liquidum athera
Clangore magno Gloria concinat,
Regni quod extendam ſecures
Latiùs, inuidiaquè maior
Franem tot Vrbes: quod furor haud mihi
Martis quietem, aut eximat otium,
Et pax recudat ſanctiores
Alma dies melioris auri.
Quod gratiarum copia me beat
Effuſa cornu; quod paueat meas
Infida Turcarum triremes
Funeribus cumulata pubes.
Quod me coronet pura Themis: fides
Quod vngue duret noſtra adamantino
Ethruria hoc felicitatis
Medicei peperere Reges.
Me Vos beatis Mediceum duo
Par dulce fratrum ſydera, vos decus
Seruatis Arni, vos Ethruſca

Stem-

Stemmata, præsidiumquè gentis.
Ambo ter vltra viuite Nestoris
Annos: Ethruscis linquite posteris
Exempla Maiorum, meosquè
Floriferos decorate campos.
Nos (namque Laudes Palladi; Regibus
Famæ superbum gloria præmium est)
Cum vatibus, musisquè nostris
Mediceam sobolem canemus.

FINIS.



Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Donatus Rom. Magiſter, & Reuerendiſs. P. F. Hyacinthi Petronij Rom. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri Socius, Ord. Prædic.

XIV



